DE ERYSIPELATE DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM PRO DOCTORIS...

Emmanuel De Angeli

DE

ERYSIPELATE

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

PRO DOCTORIS MEDICINAE LAUREA

RITE OBTINENDA

IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA

C. R. UNIVERSITATE PATAVINA

PUBLICAE ERUDITORUM DISQUISITIONI

SUBMITTIT

EMMANUEL DE ANGELI

TYROLENSIS

Patavii

TYPIS SEMINARII

1839.

CLAR. IN REBUS SACRIS PRESB.

IOANNI DE-ANGELI

RECTORI EMERITO COLLEGII CROSINIANI
INSIGNI CATHEDRALIS TRIDENTI EXAMINATORI
PROSYNODALI
CONSIL. ECCLESIASTIC. TRIDENTI SOCIO etc.

Tenuis hic labor tuo insignitur nomine. Nil mirum: festinationis plenus, ut legibus academicis fungar, majora non potui, et beneficiis atque

consanguinitate adstrictus grati animi indicem tibi offerre debeo. Non rem itaque, sed mentem respice, et vale.

NEPOS DEVINCTISSIMUS

DEFINITIO

Erysipelas est cutis adfectio; » hoc igitur nomine designatur rubor quidam, plerumque e roseo albicans, rarius e purpureo aut livido flavescens, aliquando ex rubro nigricans, qui in hac vel illa corporis parte cutem summam subito occupat, aliquantulum eam attollens, sed tamen aequalis et planus, lateque sine ulla spatii aut figurae circumscriptione se se diffundit et quodammodo serpit, ut plurimum pruritu atque ardore magis quam dolore ingenti molestus. Id autem peculiare et proprium ejus est, ut si digitis comprimatur, ibi candicet albidumque vestigium recipiat; sed mox, remota pressione, pristinum colorem splendoremque recuperet ». (Burserius V. II. § 15.).

Formae

Adfectio haec dermatitidis species, et ideo inflammationibus erythematosis accensenda, sub diversis formis apparet.

A pathologis vocatur:

1. Erythema, cum circumscribitur cutis parum et quasi nullatenus tumentis superficiei, absque febre suum absolvens cursum jam brevem, jam diutinum.

2. Erysipelas simplex, ubi inflammatio totam cutis crassitiem occupat, cum manifesto ejusdem tumore plano, plus minusve diffuso, ac febre comitata.

3. Phlegmonodes, quando inflammatio praeter cutem in substantiam cellulosam profundius penetrat.

4. Oedematodes, si inflammatio partes aggreditur jam oedematе tumentes.

Nosographia

Si erythemati ulla praecedunt symptomata, haec sunt morositas, lassitudo, horripilationes et caloris interni sensus. Eo loci qui sedem adfectioni praebet, tensio, calor aut pruritus vexant; dein cutis rubor, aut floridus, aut satur, plerumque pallidus comparet, pressione evanescens et hacce ablata rediens: cutis est plana, vix tumescens. Erythema *gutta rosea* audit, cum naso, genis, fronti, mento inhaerens, rubore saturo, fere livido distinctum; *pernio* si manus, pedes, nasum, aures ob praegressum frigus illi sedem largiuntur; *intertrigo* ubi efflorescit ad plicas, quas cutis in collo, sub axillis, pone

aures, inter nates, ad poplites efformat. Vix non semper febris cum cephalalgia praecedit ceteras formas erysipelatis; quod saepius secunda vel tertia die post illius ingressum notari solet. Aeger conqueritur de sensu ponderis, caloris, tensionis, mox vero pruritus, ac fere ustionis eo loci qui sedes morbi evadit. Interdum dolent glandulae, brevi apparet tumor planus, glaber, coloris ex roseo flavescentis, ad minorem primum integumentorum plagam limitatus, dein in ampliorem extensionem sensim adaugens. Raro suas absolvit phases eo loci, quo primum erumpit. Plerumque de alia parte in alteram proserpit, et totum caput, dein collum, humeros, dorsum visitat, alias vicinis parcit et remotas adoritur, quandoque derepente evanescit, morbo graviori interno in illius vicem succedente.

Symptomata generatim graviora tam localia, quam universalia comitantur erysipelas phlyctaenosum seu vesiculare. Quandoque prima die bullae aliis tardius erumpunt, interdum vesicae similes illis accedunt, quae a combustione vel cantharidum emplastro inducuntur; hae porro aut eodem tempore, quo apparent, aut deinceps scinduntur, et humor in ipsis contentus accessu aeris densatur in crustas flavescentes, brunas ac fere nigras, unde nomen erysipelatis crustosi.

Erysipelas phlegmonodes a simplici differt in eo tantum, quod inflammatio cuti non limitetur, sed radices in subjectum cellulosum profundius agat, symptomatibus hinc topicis et universalibus multo vehementioribus comitatum.

Erysipelas oedematosum primariam vel secundariam ducit originem. In priori casu pendet ab effusione seri inter cutem erysipelate correptam, nec non in textum cellulosum illi subjectum; in altero ipsum erysipelas oedematosum jam partem adoritur, et hydropicam ratione quadam participat diathesim.

Characteres

Plus forma interest characterem dignoscere, quem erysipelas inducit pro febre vel inflammatoria, vel gastrica, vel nervosa, vel septica eidem socia. Febris inflammatoria comitatur praecipue erysipelas phlegmonosum, quandoque tamen simplex et vesiculare. Febris gastrica, etsi ab erysipelate phlegmonoso non abhorreat, simplex et vesiculare tamen pro illa comitari solet. Symptomata, quae eminentem systemata nervosi indicant passionem et veram totius organismi debilitatem, characterem nervosum erysipelatis quoque annuntiant. Septicum tandem ostendit erysipelas characterem, cum febri putridae se dat socium.

Divisiones

Distinguunt pathologi erysipelas apyreticum a febrili, fixum a vago; et hoc iterum considerant aut serpiginosum si ad vicinias proserpit, volaticum ubi ad remotas partes transilit, benignum a maligno, ad quod referunt praesertim septicum, gangraenosum, nervosum, grave, acutum a chronico, periodicum, habituale et accidentale, sporadicum ab epidemico, essentiale sive primarium a symptomatico vel secundario, idiopathicum a sympathico.

Causae

Specialem in erysipelate dispositionem exhibent neonati, tenelli infantes, pingues et omnes demum, qui cutem offerunt tensam, turgidam, succulentam, delicatam et injuriis externis minus adsuetam, plethorici, juvenes superficiem corporis ab insolatione, contactu aeris, influxu temperaturae diversae omni studio et sollicite tuentes, feminae praesertim gravidae et lactantes. Ipsam inducunt dispositionem morbi specifici differentes, uti scrophula, scorbutus etc. morbi hepatis, hydrops, stases chronicae in systemate venae portarum, suppressio haemorrhoidum, mensium, epistaxis habitualis, ulcera antiqua, cicatrices durae et latae.

Terminationes

Erysipelas prospere terminatur in sanitate, cum huic faveat bona crisis localis et generalis. Prior innotescit desquamatione epidermidis antiquae, jam altera succedente; generalis vero per sudores profusos, urinas hypostaticas, diarrhoeam, haemorrhagias fit palam. Transit quandoque in morbos alios, qui secundarii vel metaschematismi dici possunt. Ad priores refertur induratio textus cellulosi, oedema, suppuratio. Omnium funestissimus est gangraena. In hanc vergit potissimum erysipelas charactere nervoso vel septico comitatum, quod in individuis cachecticis aut senio, aut morbo, aut profluvio aliquo exhaustis, quod in neonatis in extremitatibus corporis, ad scrotum, ad labia vulvae, praesertim si oedematosa, evolvitur. Quoad metaschematismos, experientia medicos docet, erysipelas non solum frequenter volare de alia in alteram partem externae corporis superficiei, verum etiam hacce phlogosi improviso evanescente, organa interiora, quandoque vitae functionibus praestantissimis dicata, adoriri cum evolutione symptomatum omnium, quae ipsius sunt propria, et ad laesas partis functiones, nec non ad varias ejus sympathias referuntur.

Prognosis

Erysipelas saepe benignum habet decursum et spatio dierum quinque vel septem, vel undecim critica evacuatione resolvitur. Tamen ob maximam ejus propensionem in exitus etiam funestos, in metaschematismos atque anomalias differentes magna semper in praesagienda ejusdem terminatione circumscriptio est opus. Generatim vero differt, et omnem pro varia adfectionis localis sede, forma, symptomatibus, pro charactere et gradu febris concomitantis, pro metaschematismis et anomaliis cursum ejusdem pejorantibus, pro individuorum constitutione, medela adhibita, aliisque circumstantiis diversis, prosperae vel funestae terminationi morbi influentibus.

Cura

Erysipelas est inflammatio, et utpote talia eandem inflammationum omnium originem ducens, eandem ac ipsae omnes exposcit methodum curae. Sed nunquam obliviscatur medicus hanc dirigere ad normam ejus vehementiae, formae, stadii, naturae caussarum et complicationum, nec non status aegrotantium et circumstantiarum omnium, ad quas ipse in singulis casibus omnium confarre debet.

Indicationes pro cura erysipelatis spectant:

1. ad causas quam primum amovendas, quae

vel morbum effecerunt, vel progressui ipsius influunt; 2. ad morbum localem tollendum prius-quam adeo procedat, ut malam partis adfectae metamorphosim inducat, vel ejus proprietates etiam extinguat; 3. ad universalem complicationem et anomalias ipsum concomitantes apte compescendas.

Relate ad causas, opus nimis longum foret rationem enumerare, quibus omnes et singulae amovari melius deberent. Hac de ra quisque pro circumstantiarum diversitate aspiciet modum et viam munere suo fungendi. Substantiae acres, e. g., pressiones, corpora extranea, aeris prava qualitas, saburrae etc., ut primum amovendae sunt; vulnera, morbi interni, retentiones, dyscrasiae, citius quam fieri potest, ex praeceptis scientiae curanda, et sic porro.

Morbi localis resolutioni favent generatim topicae missiones sanguinis. Sanguis ex superficie inflammata educi potest hirudinibus, incisionibus seu scarificationibus et puncturis.

Topicae missiones sanguinis, quacumque methodo obtentae, saepe saepius et quasi constanter levamen statim offerunt manifestum, et dolorem nac non molestam partis dissipant tensionam. Erysipelas phlegmonodes, simplex etiam interdum, est forma, cui locales sanguinis missiones generatim medentur. Contra oedematosum et

septicum damnum potius, quam emolumentum inferunt.

Remedia alia topicae adfectioni pariter admovenda variant pro diversa erysipelatis forma. — Contra erythema proponuntur unguenta de sulphure, de praecipitato albo, de nitrate mercurii, de carbonate potassae, adeps oxygenatus, carbonas potassae liquidus, acidum sulphuricum. — Erysipelati simplici, phlegmonoso et vesiculari vel nihil admovetur, vel tantum subtile linteum ad rerum frictionem, frigus, aëris vicissitudines impediendum, vel fotus aquae vegeto-mineralis, vel aquae et aceti, vel secalis farina per cribrum depurata. Si phlegmonodes in suppurationem vergit, cataplasmata adplicantur; crustae, quae efformantur, fotibus emollientibus facile delabuntur. — In oedematoso pariter conveniunt prae ceteris farinae exsiccantes. Ubi ipsum jam gangraenam minatur, juvat subtilioris de cortice peruviano pulveris, cum pauxillo myrrhae ac camphorae, cutique inspersi usus.

Cura interna variare debet, et dirigitur pro forma erysipelatis, pro gradu et charactere febris comitantis nec non pro diversa aegrorum constitutione. In casu erythematis a suppresso fluxu habituali oportet, ut idoneis auxiliis ille provocari, vel alius substitui possit.

Character inflammatorius febris comitantis

methodum exposcit antiphlogisticam plus minusve activam pro vehementia, qua viget, et individuorum conditione. Si erysipelati character gastricus se dat socium, tunc primum medici officium est alvum purgare, si adsint phaenomena saburrarum colluviem in stomacho indicantia, emeticum praemitti solet; in casu diverso cathartica statim administrentur.

Quando erysipelas vel a principio, vel progrediendo febris comitatur nervosa, prosunt decoctum, extractum, pulvis corticis peruviani, camphora, arnicae florum, angelicae, imperatoriae infusa, nec non opium in casu doloris excruciantis, vesicantia et sinapismi.

Contra erysipelas septicum medentur remedia quae et contra indolem eam nervosam valent. Dumtaxat addi possunt cardiaca, vinum et diaeta nutriens.

Seqnelae erysipelatis, in resolutione haud propere terminati, curantur ex scientiaa praeceptis illa methodo et auxiliis, quae pro earum natura, gradu et formis diversis habentur.

Convalescentia cura eo majori et attentione est digna, quo major morbo inest in recidivam nisus. Sic ait celeb. professor Hildenbrand. „Aegri a quavis temperaturae vico et humiditate enixe caveant, ac praesertim partem prius inflammatam ab externis muniant injuriis, do-

nec disquamata prorsus cuticula decidua, illa quae recens formabatur, morborum amiserit sensibilitatem, debitumque roboris gradum adquisiverit. In principio frictiones leves et balnea aromatica, serius lotiones frigidae cum pauxillo aceti saturnini, aut spiritus camphorati, balnea martialia, aer campestris, ac debitum regimen diaeteticum optime conveniunt ».

THESES DEFENDENDAE

1. Nimia vitae cura vitam breviat.

2. Mater non lactans sibi et infanti damnum parat.

3. Nec sanguis, nec ullus alius liquor animalis gelatinam continet.

4. E luxuria et paupertate uberrimi scaturiunt morborum fontes.

5. Nimis calidam vel frigidi nimis aeris temperiem, quoad possibile est, fugiat homo.

6. Constitutio hereditaria quam maxime influit animi facultatum evolutioni.

7. Si fomenti saturnini opus habeas, semper solutionem sacchari saturni solutioni subacetatis plumbi anteponas.

8. Quae in cutis colore mutationes observantur, non modo a caloris, sed etiam lucis actione derivantur.

9. Medendi methodus in diversis regionibus diversimode temperanda.

10. Non omnia medicamina, quae phlogosin, ubi immediate adplicentur, generant, ad stimulantia pertinent.

11. Nitras argenti fusus ad erysipelas coercendum praestantissimus.

12. Medicus nimis taciturnus aegro morbum praesentem graviorem facit, garrulus praesenti alterum morbum addit.